

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1591

Autre(s) référence(s) : Fauroux 147 / Tabuteau 214, 215 / Round 1256

Auteur(s) : Landry, Chartres, Saint-Père (abbé)

Bénéficiaire(s) : Chartres, Saint-Père (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1060, 4 août

Lieu d'émission : Courdemanche

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume le Bâtard approuve une donation faite à Saint-Père de Chartres par son chevalier Richard [de Reviers] : ce dernier, chargé de la garde de la forteresse de Thimert, donne, à l'article de la mort, sa terre de Gourbesville à l'abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 1, p. 152, ch. XXVII.
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 556.
- c. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, pièces just., n° 29, p. 31.
- d. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 147, p. 328-330.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1256, p. 456.

Dissertation critique

Henri Ier, roi de France, meurt en 1060.

Texte établi d'après d

In nomine sanctæ et individuae Trinitatis, divinitate propicia Landricus abba conventusque monachorum Sancti Petri cænobii, notum esse volumus omnibus sanctæ Dei æcclesiæ fidelibus tam presentibus quam futuris, qualiter terra de Gausberti villa quæ est in Constantini pago Sancto Petro nostri loci Carnotensis data fuerit. In illa tempestate qua nobilis comes Normanniæ Vuillelmus nomine, in territorio nostræ civitatis castrum tenebat de Tedmaro, vir quidam clarus genere seculari militia deditus, a Constantini pago, custodiendi gratia ibidem

advenerat. Verum non post multos dies corporis incommodo tactus, periculum animæ suæ valde timens, unum ex monachis nostris Gausfridum nomine, qui ibi tunc forte aderat, ad se vocavit obnixè petens ut festinus ad episcopum urbis iret, sibique absolutionem criminum peteret, — erat enim castrum illud anathematizatum —, deinde se citius ad cænobium nostrum si nequiret vivum vel defunctum ad sepeliendum deferret. Pro hoc, inquit, atque pro redemptione meæ animæ, ab hac die in æternum loco Sancti Petri Carnotensis terram illam quæ in Gausberti villa contra fratres meos in dominio meo jure videor possidere concedo et omnia quæ inibi possideo, exceptis militibus. Cumque monachus in exequendis ejus votis perexisset, interea ille defungitur. Collata quoque a venerabili Agoberto episcopo absolutione, allatum nobis corpus ex more sanctæ religionis inter primates civitatis honorifice sepelivimus. Deinde dominus abba cum quibusdam fratribus dominum nostrum comitem Vuillelmum adiit qui tunc in expeditione non longe aberat, rogavit eum ut pro sua et conjugis sobolumque salute concedendo firmum faceret donum sui militis Richardi, sic sane vocabatur defunctus ille, atque fratribus defuncti, qui in ipsa expeditione erant, Balduino scilicet et Vuillelmo, hoc idem facere mandaret ; et ut erat benignissimus sepe nominandus comes Vuillelmus, coram principibus suis perpetualiter donationem ipsam loco Sancti Petri concessit atque supradictis fratribus idem fieri jussit ; qui jussione boni comitis et multorum et ammonitione nobilium devotiores effecti, pro anima fratris, quod ipse dederat in perpetuum annuerunt, ut ab ipsa die et deinceps monachi nostri absque ullo calumnio hereditario jure terram possiderent nullusque ex heredum eorum, temerario ausu, ullam inquietudinem faceret. Verum si quis cupiditatis visco et diaboli instinctu contra hanc donationem in res suæ improbitatis extenderit videant ... ut ejus conatus inefficaces reddant ne cum ipso sacrilegii crimine subiaceant anathematis jugulo. Facta est hæc donatio .II. nonas Augusti, in villa quæ dicitur Cunrtis Dominici, juxta Drocis castrum, die qua serenissimus rex Francorum Hainricus ex hac vita decessit. Subscripsimus autem primitus nomina virorum qui a Richardo factam donationem audierunt, deinde eorum qui a comite vel fratribus ipsius Richardi viderunt et audierunt donationis concessum : Richardus Falchemancus, Hunfridus, Tuoldus, Vuillelmus Corbutionis filius, Fulcherius arcibalister, Nigellus, sororgius ejus, Vuillelmus Marmio, Gemmelinus, Rainaldus de Arsellis.

Item alii, Vualterius Gifardus, Vuillelmus filius Hosberti, Fulco de Alno, Hubertus de Rigia, Rodbertus Bertrannus, Bencelinus de Scoht, Raherius de Vernone et Vuillelmus, Hugo filius Gerelmi. De nostris, Bernardus filius Vulmari, Bernerius presbyter, Vuarinus cocus, Oidelerius stabularius, Vualterius major.

(Variante, version a)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, ego Landricus, gratia Dei abbas, omnisque conventus monachorum Sancti Petri coenobii Carnotensis, qualiter nostro loco data fuerit terra, quam possidere videmur in Gausberti Villa, a quodam milite et claro genere, Richardo nomine, vel qualiter concessa sit a nobilissimo comite Normanniæ Willelmo, seu a fratribus supradicti militis, Willelmo scilicet atque Balduino. In anno igitur quo finitum esse intestinum bellum dinoscitur, quod inter regem Hainricum et Willelmum comitem diu duraverat supradictus miles Richardus a comite cum aliis Normanis missus fuerat, custodiendi gratia Tedmarum castrum : quod castrum cum habitatoribus suis tunc anathematatum erat. Qui dum ibidem esset, infirmitate corporis qua et mortuus est tactus, diligenter animæ suæ detrimentum timens, Nigello quodam ad se vocato, qui sororem suam in conjugio habebat, seu aliis amicis petivit ut quidam monachus noster Gausfridus, qui tunc forte aderat, ad episcopum civitatis curreret, seque, tam ipse quam alii, absolvi facerent et ad coenobium sepeliendum deferrent eo tenore ut ab illo die in æternum monachi nostri loci terciam partem Gausberti Villæ possiderent, exceptis militibus, quicquid videlicet ipse possederat in domibus, in terris, in pratis, in aquis, in æcclesia, in bobus. Impetrata quoque absolutione, et, ex more sanctæ religionis, inter primates civitatis corpore sepulto, nomen ejus memoriale fecimus, et faciemus diebus omnibus, cum cæteris quorum beneficiis vita nostra sustentatur. Auctorizavit autem hoc donum gloriosus comes sepe nominandus Willelmus, pro coelestis vitæ præmio, in villa quæ vulgo dicitur Curtis Dominicus, non longe a castro Drocis, coram obtimatibus suis quorum nomina sunt hæc : Willelmus, filius Osberti, Walterius Gifardus, Fulco de Alno, Hubertus de Rigia, Rodbertus Bertrannus, Willelmus Marmio, Rainaldus Darsellus, Radulfus Falchemandus, Hunfridus, Tuoldus, Willelmus Corbucionis filius, Bencelinus de Scoht, Raberius et Willelmus de Vernone, Hugo filius Gerelmi. Auctorizaverunt et fratres defuncti, coram omnibus his supradictis, Willelmus scilicet atque Balduinus, ut et ipsi cum fratre suo in recumpensatione participes esse mererentur. De nostris adfuerunt : Bernardus, filius Vulmari, Warinus cocus, Walterius major, Oydelerius stabularius. Si quis hanc cartulam contradicere voluerit, perpetuo anathematis jugulo feriat, et frustratus voluntate, tres libras auri persolvat judici. Concessa est et roborata hæc donatio pridie nonas Augusti, die qua mortuus est Hainricus rex Franciæ, et scripta a Paulo monacho.

